



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Monica Vidva. 4. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

bombycum fila contemnere. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se compsit, cui in sponsâ cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagiâ amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorentem ab eâ conditionem novus Phalaris bovi æreo candenti includit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sœdales, qui tituli jure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentie vestem, primo loco votoque poscite.

Ex Metaphrast.

Si luxuriâ flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria æterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiat, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.

S. MONICA VIDVA 4. Maij-

HÆc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde celo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrymas non antè deficiit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum lacryma-*

*erymarum periret. Vini nimirum faciebat Deo (ut
 Augustinus postea jam renatus loquebatur) cor
 contritum & humiliatum viduae casta ac sobria,
 petentisq; ab eo non aurum & argentum, sed salutem
 animae filij sui. Cujus illud primum indicium fuit,
 quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius
 viro ore ambrosiam pasceretur, quem proinde non im-
 merito ut Angelum Dei Monica diligebat; quan-
 do verè idem est boni præceptoris, quod Angeli
 officium, etsi non eadem utriusque dignatio impen-
 ditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino
 in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi via
 opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio
 professa, cum diceret: *Fili, quantum ad me attinet,
 nullam re jam delector in hac vita: immorari cupie-
 bam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multo
 post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad
 Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis
 repetimus normam & exemplar matrum omnium;
 nam hodie pleræque non pereuntibus filiis, sed ad
 Deum abeuntibus lacrymantur, eosque diligendo
 occidunt. *Ex operib. S. August.**

*Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores ti-
 bi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstinere, con-
 zumelias: sed nec vultu laudanda est pietas parentum;
 meretur cacitatis subire supplicium, qui parentum
 vultus torvo vultu despexerit. S. Hieronym.*

CONVERSIO S. AVGVSTINI. 5. Maij.

Hoc die Monica lacrymæ AVGVSTINVM orbi
 secundum pepererunt; nam hoc Manichæo-
 rum erroribus se demum expedit. Ad id pluri-
 mum, ut dixeramus, momenti mater attulit, que
 filium